Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1691
Quelle:
Copyright:

CCCCXXX.

892 Codex chartaceus lat. boh. Sec. primum XV. dein XIV. Folior. 264. f. complectitur: I. ut bis praevie inſcribitur, *Quadrageſimale M. Johannis Huſs*, id eſt Epiſtolas et Evangelia tempore jejunii verni in Eccleſia legi ſolita charactere luculento lineis admodum laxis deſcripta, quarum ſpatia intermedia partim expoſitionibus, partim vero gloſſis bohemicis replentur. Initium a Die Cinerum ita ducitur: *Mutemur habitu in cinere et cilicio, ieiunemus et ploremus ante dominum, quia ipſe miſericors dimittere peccata.* Subditur: *Hijs uerbis generaliter omnes inuitantur ad penitentiam* &c. Abrumpitur in *Matth.* C. 26. v. 60. *Fol.* 134. p. 2. ad Evangelium *Joh.* C. 13. *Ante diem feſtum Paſche* &c. coincidit cum *Paſſione Domini* edita in *Opp. Huſſi* 1715. T. II. p. 8. Itaque antecedentia omnia in hoc *Codice* contenta Editoribus ignota fuiſſe videntur.

II. *fol.* 151. et deinceps per 2. columnas: Expoſitio *Paſſionis Dom.* pro concione, quae incipit: *Mortuus eſt abimelech maritus noemi Ruth, nolite me vocare noemi id eſt pulchram* &c. *Conſuetum eſt aliorum in principio ſermonum invocare uirginem* &c. Definit: *huic ſcale ita inniti firmiter quod attingamus gaudia paradiſi. Amen.*

III. *fol.* 157. et deinceps manu Sec. XIV. *Incipit regiſtrum amici de tempore. de XL°. et de ſanctis.* Sermones *Amici* ita dictos puto, ut ejusdem aevi Sermones *Parati*, *Peregrini*, *Succi*, *Contracti*, *Dormi Secure* &c. feruntur, Majoribus noſtris de vero Autorum nomine parum ſolicitis, dum rem tenerent. Sermo I. ita infit: *Nota quod homo triplicem habet amicum* &c. Atque inde forſitan *Amici* Adpellatio. Impreſſi ſunt hi Sermones ſeu potius Rudimenta Sermonum *Baſileae per Nic. Kesler* a. 1495. 4. ubi in Praefamine *diuerſis ex Doctoribus eorumque dictis ſparſim hinc inde collecti* dicuntur. Variant tamen a *Codice*, ut fit, ubi cuivis liberum eſt addere vel demere.

IV. *fol.* 200. Alia Collectio Sermonum in varia Feſta, puta *Annuntiationis*, *Caenae Domini*, *Paſſionis Chriſti*, et inter alios *de S. Procopio*, unde in *Bohemia* ſcriptos auguror. Primus incipit: *Ave Maria gratia plena* &c. *Salutate mariam non hodie ſed cottidie* &c. Adhaerent quaedam Miracula.

V. *fol.* 217. *Incipit ſumma magiſtri alani de arte predicandi.* Ita quidem: *Uidit iacob ſcalam* &c. *Scala iſta profectus eſt viri catholici que contexitur ab inicio fidei* &c. Inter alia *Alani ab Inſulis* Ord. Ciſt. a. 1202. defuncti Opera edita eſt haec *Summa* a *Carolo de Viſch Antverpiae* 1654. p. 51. f. in *Capita* XLVIII. diſtributa, quorum ultimum *ad Somnolentos* non habet *Codex* noſter, qui univerſim cenſet *Rubri-*

cas